... Hermes Trismegistus

Virtuti et Honori Adami Opatovii

# HERMES TRISMEGISTVS

VIRTVTI ET HONORI.

*Adm. Reuerendi & Clarissimi Dñi*

*ADAMI OPATOVII,*

*Sacræ Theologiæ Doctoris, Decani S. Annæ.*

DVM

Pro loco inter S. Theologiæ Doctores, in Academia Cracouien. obtinendo, de PRÆDESTINATIONE, disputaret.

*A*

*M. JACOBO VITELLIO, Philosophiæ Professore, Cultus debiti, & obseruantiæ causa, oblatus.*

CRACOVIÆ,

Jn Officina Typographica Francisci Cæsarij,

Anno Domini, 1628.

# ΕΠΙΓΡΑΦΗ

## ΕἸΣ ΘΕΟΦΡΑΔΗ͂Ν ἸΔΜΟΣΥ͂ΝΗΝ ΤΗ͂Σ ἉΓΙ͂ΑΣ ΘΕΟΛΟΓΙ͂ΑΣ.

Ἠελίου αἴγλη πολυπάμφαος ὥστε κελεύθῳ
Ἀστερόῳ λάμπει, νυκτ' ἐλάει δνοφερήν
Οὕτως ἀκρόσοφος γνῶσις μερόπεσσι φαείνει
Καὶ στυγερὴν ὄρφνην, οὐ κατέλειπε νόῳ
Οὐρανιαῖς ἀκτῖσι καταυγάζων φύσιν ἀνδρῶν
Ἐκ θείου σέλαος, πάντα δάμασσε φλογί.



## IDEM.

SPlendore vt nitido, inuestit Sol aureus axem,
Nox ſubitò chlamydem contrahit atra ſuam.
Sic animos hominum Diuina ſcientia, poſtquam
Illuxit, grauibus vindicat ex tenebris.
Cælicolûm radijs luſtrans mortalia corda,
Diuinæ lucis, cuncta face edomuit.



ODE

# ODE.
# TRICOLOS
## TETRASTROPHOS.

NON frustra Pharijs didita in vrbibus,
Quæ nunc fluctiuagus, rura perambulans
Nilus, culta fluentis,
Lambit prata feracibus:
Annorum innumeris, ordinibus loquax,
Antiquum populis, fama Sophum extulit,
Et ter voce Pelasga,
Dixit nomine Maximum.
Quòd cultus hominum, barbarie graues,
Formaret studijs vtilioribus,
Sollérsq; ingenio alto,
Naturæ abdita panderet.
Atq; istis gradibus, quantùm homini fuit
Fas, Sanctæ Fidei luminis indigo,
Nitens, & Triados per —
Sanctæ nomina nosceret.
Et caduciferum Graiugeni Hermetem
Mirantur, celebris nomen Atlantidæ,
Qui non cognita Diuûm
Terris consilia explicat.

Quem tanta officijs aſsiduis rotat,
Incumbens vario, turba negotio,
Vt nunquam irrequieto
Somnus lumina flecteret.
Heroâ iſte ſagax, multioculum caput,
Cum primùm exoculans, contemerat manu,
Monſtroſumq́; nece Argum,
Proſternens rapit Ionem.
Monſtrorum domitor prodigialium,
Quorum tabificâ, & peſtifera lue,
Quà ſe porrigit vſq;
Orbis perlitus horruit.
Nonnunquam ambiguum, prætereuntibus
Hermes monſtrat iter, perpetuâ fide
Nè quem deuius error,
Rectâ flectat ab orbitâ.

Ἀυτῷ ἡγέμονί ἐστι δ᾽ ὁλὴν δεον
Ἔις πράξιν προσάγειν τῶν χθονίων γένος
Καὶ ἡμῶν βιότοιο
Δεῖξαι τὴν ὁδὸν ἀσφάλη.

Qui te tàm varijs, clarum in adoreis,
Inter promeritæ ſplendida gloriæ
Ornamenta OPATOVI
Non limis oculis videt;
Et vitâ, & niueis moribus, ingenij
Quo ſe cunq; ferat, non populariter,
Nec fallente ſuſurro, at
Veris laudibus inclyti:

Exemplar veteris (gloria quem ardua
Sublimem Pharijs vexit in vrbibus)
Tris — prælustre Megisti
Dicet pro merito tuo.
Diuorum ecce tibi consiliantium, &
Cætus fatiloqui nuncius alipes,
Cæli proloquio alti,
Tantis cessit honoribus.
Nam decreta Deûm, quæ irremeabili
Postquam edicta semel, lege perenniter
Stant, nec viribus vllis
Cedit sanctio Olympia:
Quæ nigrantibus in nubibus occulens
Æterna astripotens nocte premit Deus,
Vt restinguat auaram,
Scrutari ista Cupidinem.
An non grande Sophôs, talia quæ nefas
Effari est homini, scire recludere, &
Sacrati arcta silentij
Cautè exsoluere vincula?
Hæc tu multimodis nexibus, admodúm
In se se implicita, & cedere nescia,
Vinclis expedis istis,
Cum primùm alta Pharos tuæ
Diffulsit populo mentis, & Vnica
Quæ primos aditus, & facilem viam
Fax præluxit, vt omnes
Se se erroribus eximant.

Nam̃ quò cuiq; ſuus deproperet dies,
Aut quid meta ferat funeris vltima,
Vel quis cenſus in ipſa
Diuorum̃ penetralia.
Hæréſne æthereis ſedibus, an vagus,
Proſcriptuſq; ſuâ de patria, ambulat
Erro, nil miſerantis
Orci, victima flebilis.
Hæc obſtructa licet victe ſilentij,
Robuſtiſq; Deorum excubijs, latent
Ignotis in Olympi
Occultata receſsibus.
Hauſtâ de ſuperis tu faculâ ignibus,
Vt quondam altiuoli dextra Promethei,
Nè mens palpitet vſquam,
Lucem ſideream præis.
Quali, quouè ſibi præparet ordine,
Vt quem cælicolûm̃ Rex, Capitolio
Supremo, atq; Deorum
Menſæ, adſcribere deſtinat.
Infectis vitij labe, quid afferat
Cælo affuſa potens gratia, deſides
Peccatiq; veterno,
Marcentes animos iuuans;
Hocq; vnum ſtudio ſollicito exigens,
Olim vt mortifero crimine ſegreges,
Lautâ & ſorte beatos,
Mactet perpete gloriâ.

O quot præcipites excidio vltimo,
(Non tangenda ſibi, vt tranſiliunt vada)
Hic altus, ſapientis
Gurges conſilij, dedit.
Dum infirmo ingenij remige, fluctibus
Tantis ſe obijciunt, Oceanum malo
Et ſtultè valido auſu,
Ceu lintre exiguo legunt.
Execrabilis hoc ſorptus in æquore
Naturæ ille tenax, & temerarius
Propugnator, in ipſa
Cæcus mente Pelagius.
Sed ſplenem meruit Democriti & ſales,
Cæleſtis nimium gratiæ, & auxilij,
Linguâ depopulante, &
Senſu prædo nefarius,
Qui ſe ſe artificem iuſtitiæ inſolens,
Virtutiſq; ſuæ iactitat impiè,
Nec cæli indigus, vnus
Ipſe eſt ſufficiens ſibi.
At tu, quàm procul his Acrocerauniјs,
Multùm & nauifragis à ſcopulis abes,
Quos ſanctæ quatefecit
Doctrinæ, ſacer impetus.
Excordes etiam nunc violentias,
Inſanæ Hæreſeos turbam Acheronticam
Aut quicquid documentis
Caſtis, obuiat obteris.

Nodos difficiles, vt vel Achilleã
Te coram videas implicitos manu,
Doctè exſoluis, & iſtud
Intra clauſtra modeſtiæ.
Macte hac percelebri laudis adoreã
Cum merces tibi nunc ſplendida congruit,
Virtuti & decora ampla,
Magnis parta laboribus.
Te nunc Vraniæ fama ſcientiæ,
Curru per populos ducet eburneo,
Et nunquam morituris,
Lenè afflabit honoribus.
Quod ſublime tui nominis eſſedum,
Vertat ſuauiter, hoc ex animo precor,
Te illimiſq; per omnes
Annos, gloria ſoſpitet.

לכבוד ולתפארה האדון אדם אפטאוויוס

מעלתו היקרה׃ הרב רם הקדוש יודע דעת

מפוארה׃ הטאלוי׃

יקר גדול ניתן זה יום למען חכמתיך הנבונה הגדולה׃

האדון אפטאוויוס העולה למעלה׃ אתה טוב וישר

כהן ומלמד מאד בחכמה המהוללה׃ זאת חאו כל החכמים

השלמים היושבים ראשונה במעלה

לכן נתנו לך היום את עטרה היקרה

למען גודל תבונתך המאירה

יהי חייך בכל עת מאושרה

## ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΞΗΓΗΣΕΙΣ

*Honori & Ornamento.*
*Adm. R̃ndi D. ADAMI OPATOVII, Doctoris Clariss: & peritiss: Sanctæ scientiæ Theologiæ.*

FAma tua, & probitas, tantùm spectata OPATOVI,
Palladij quantam non tacuêre Viri.
Factis & dictis idem, exemploq; Sacerdos,
Virtute, & studio, præmium vtrinq; tenes.
Dumq; labore tibi quæsitus honos, vt eundem
Omnibus aucta bonis, sors foueat, voueo.